DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. DECEMBRIS.

M. IOANNE GARBE, Doctore Medico, Moderatore.

An Diuites tutiùs & citiùs à morbis ſemper curentur? 1124.

DIVITES in ſanitatis detrimentum non raró properant; Quantò eorum mollities major, tantò illis vita fragilior. Ferè ſemper in otio degunt. In lecto molliter decumbunt. Deguſtant vina generoſa, delicatioreſque cibos. Cum liquida non placent, aſſa vt ſucculentiora proponuntur. Mutantur quotidie fercula; Placet miſcere aſſa elixis, aues piſcibus, olera carnibus; fructus aciduli, dulces, apponuntur. Appetitus irritatur ſalſis, acidis, piperatis condituris: Mille lenocinijs adulteratur appetentia, venenis nonnunquam voluptarijs, quorum maleficium occultat coquus ventris adulator, malumque per ſe appariturum velut datâ operâ excuſare nititur, vt quodam artis ſuæ mendacio ipſos fallat incautos. Ea ſola ſunt optima, quæ palato grata & jucunda non neceſſitati ſed voluptati ſeruiunt, quorum vſus ferè ſemper abuſus eſt. Ex quibus Natura quæ paucis contenta, grauatur, corpus excrementis omnis generis repletur, tandemque ex plethorâ & cachochymiâ crebri fiunt dolorum morſus & innumeri ſoboleſcunt morbi.

CIBI potuſque vitia gignendis morbis materiam ſuggerere demonſtrant qui abſtinentiâ ſanantur. Febris ipſa quæ ſæpius poſt ingluuiem incipit cauſam ſuam agnoſcere videtur. Ab alimentorum copiâ aut vitioſâ qualitate, humorum prouentum facit jecur, qui dum perenni generatione ſupra juſtam & naturæ congruentem menſuram ſenſim cumulantur & creſcunt, morbos pariunt, qui non vnicâ ratione creant perniciem: hinc Cardialgia, Anorexia, Ephialtes, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Arthritides. Aliàs molliora vaſa vt quæ ſunt circa hepar, thoracem & pulmonem plurimo ſanguine turgida nimiúmque diſtenta dehiſcunt aut abrumpuntur: Nonnunquam verò & repente exurgunt graues illi affectus quos efficit frequens tunctemporis venarum ἀπόληψις, & earum perſpiratione impeditâ ſuboriuntur febres putridæ, ardentes, ſynochi. At ſæpius humores quando turgent ergaſtulis contineri non poſſunt, ſed quoquouerſum impulſi foras exiliunt; vnde Hæmorragiæ, Hæmorrhoïdes, emictiones, vomitiones aut expuitiones cruentæ: Aut impetu in partem aliquam irruunt, Vnde Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniæ; & eò citiùs, ſi labor viſcera concutiat, eorum graues contingunt inflammationes.

OMNIBVS illis affectibus tutò & citò curandis non conuenit vna eademque medicina. Nunc vacuandum, reuellendum, aut deriuandum ſeu quâlibet ratione medicandum: Nunc minuendæ cibis vires, mutanda modò mala temperies; exhauriendæ venæ, expurganda illuuies, feritas demulcenda, viſcerum nitor & integritas promouenda. Quæ omnia præcipuè abſoluuntur idoneâ viuendi ratione, venæ-ſectione, & purgatione, in quibus omnis ſalus, cum communes morborum cauſas, plethoram & cacochymiam, exhauriant. Morbi qui diætâ non ſanantur, remedijs debent curari. Plethora quò ſe prodit manifeſtiùs, eò periculi plus ineſſe denunciat, & deplendorum vaſorum majorem indicat neceſſitatem. Lucet tunc feſtinata atque audax medici non ἀμοιρ'βυ prudentia. In diem dilatio pleriſque mors eſt, cum vbique & ſemper tenenda ſit curandi lex per contraria. Venæ-ſectionis modus vicibus non eſt definiendus, ſed vſu, qui magnitudine morbi, & virium robore terminatur. Sanguinem ſatiùs eſt per vices quàm vno ductu ad λειποθυμίαν fundere. Omnis eam fert ætas, temperamentum, regio, tempeſtas, & ipſæ quæ geſtant vtero mulieres. Nullus ferè eſt affectus cui non ſit proficua. Acutorum ſingulare eſt auxilium. Cum humores in furias aguntur, cum omnia intus permiſcent, conturbant & fœdant: cum æſtuant viſcera & flammam accipiunt, phlebotomiam omiſiſſe ſemper penituit: apertis enim ſupernarum infernarumque partium venis frænatur humorum orgaſmus, æſtus viſcerum temperatur, repreſsâ putredine auertitur partium inflammatio: omnia ſubducto morbi à plethorâ pabulo tepeſcunt, & leuata oneris parte natura ſuperſtitem ſæpius humorem perſpiratione reſoluit, aut in ejuſdem pepaſmum feliciter incumbit.

CACOCHYMIÆ proprium accommodatumque remedium eſt purgatio, in quâ naturæ diuitiæ, quæ ad nitorem corporis noſtri procurandum rebus innumeris virtutem impreſſit καθαρτικήν. Purgantia medicamenta cujuſcunque ſint virtutis incipientibus viſcerum inflammationibus aut vigentibus, quòd turbas naturæ moueant, nunquam exhibenda, ſed tantùm declinantibus, tuncque molliora tantùm ſunt eligenda, quæ partibus malè affectis vtcunque blandiantur. In diuturnis affectibus ſæpeſæpius ſunt propinanda, atque in acutorum declinatione inducto humorum pepaſmo. Decernuntur autem benigna, mediocria, aut valida, pro virium modulo, materiæ benignitate aut contumaciâ, & loci in quo ſtabulantur conditione. Prudentis eſt medici graues morbos & contumaces qui nullo mitiore medicamento expurgari potuerunt, aliquo δραστικωτέρῳ cum ratione & diligenti πεπειρασμένων conſideratione exhibito oppugnare. Colluuies enim humorum ſæpe in locis remotioribus anfractuoſiſque receſſibus ita eſt infixa, vt non niſi mochlicorum arietibus ſit excutienda. Quid eſt igitur tunc conſilij leuiorum medicamentorum repetitione multiplici fruſtra ægrum toties torquere, quem ſemel vno aut altero medicamento propinato poſſumus à morbo redimere?

OMNES eâdem ſorte ſanitati non reſtituuntur. Qui ſibi temperare non poſſunt vix ad ſalutem perducuntur, ſed ſponte ad exitium ſeſe præcipitant. In grauioribus morbis promptiùs ſeruis ſuccurritur; ipſi enim etiam inuiti faciliùs coguntur, quàm quibus eſt inutilis libertas. Diuites plerumque conſilijs medicorum non obſequuntur. Sæpe propter corporis mollitiem atque vitæ delicias quæ ſunt neceſſaria recuſant ſibi adminiſtrari remedia. Diætam conuenientem, quia tenuem, difficulter obſeruant. A venæ-ſectione multoties repetitâ, quia cruentâ, velut à quâdam carnificinâ abhorrent. Purgantia medicamenta, quia ingrata, faſtidiunt: Ideo ipſi quia ſæpe curari nolunt, à morbis tutò ſemper non poſſunt ſanari. Quidam vt ipſis diuitibus blandè adulentur, damnant aut non conſulunt quæ ipſis non placent remedia. Alia proponunt quibus temerè audent promittere ſalutem. Spondent quas non poſſident dotes, vana proferunt nomina & ſplendida mendacia. Syrupos exhibent, julapia, roborantia, cardiaca, aut alia fucata morborum blandimenta; ſicque litum, fotum, perfuſiones, cataplaſmata ἀμεθόδως præſcribunt ad dolorem viſcerum demulcendum & ad morbum ſanandum: hinc omiſſis generoſis remedijs, non poteſt quin ſit ipſis extrema pernicies: Nam cum primis etiam morbi temporibus perfundant viſcera oleo, vtantur laxantibus cataplaſmatis cucurbitulæ ritu corporis ſuperuacanea trahentibus, phlegmone tandem in ipſis partibus eo tempore contrahitur, quo jam ſeruis & pauperibus morbus ad finem eſt perductus. Συμβαίνει ἐν τοῖς τοιούτοις τοὺς πλουσίους μᾶλλον τῶν πενήτων κακῶς θεραπεύεσθαι.

Non ergo Diuites tutiùs & citiùs à morbis ſemper curantur.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Carolus de Laual.
M. Dionyſius Dodart.
M. Dionyſius Puylon.
M. Ioannes Baptiſta de Reuellois.
M. Fabianus Perreau.
M. Edmundus Charrier.
M. Petrus Hommets.
M. Iacobus Renaut.
M. Nicolaus Langlois.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS LE MENESTREL, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXI.